


EPISTULA LEONINA

CLXXXI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CLXXX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM OCTOGESIMAM PRIMAM (181) !

ARGUMENTA

HIC RHODUS HIC SALTA!	03
ESTNE EUROPA MORITURA?.....	04-10
FABELLA GRIMMIANA: De Fratre Laeto.....	11-22

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam octogesimam primam (181). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Martis, 06. m.Nov., a.2018**

Αὐτοῦ Ῥόδος, αὐτοῦ πήδημα.



HIC RHODUS HIC SALTA !

AESOPUS Apologus 51 Ἀνήρ κομπαστής i.e. **Gloriator**.

[51] (**versio A**) Ἀνήρ κομπαστής. Ἀνήρ πένταθλος ἐπὶ ἀνανδρία ἐκάστοτε ὑπὸ τῶν πολιτῶν ὀνειδιζόμενος, ἀποδημήσας ποτὲ καὶ μετὰ χρόνον ἐπανελθὼν, ἀλαζονευόμενος ἔλεγεν ὡς πολλὰ καὶ ἐν ἄλλαις πόλεσιν ἀνδραγαθήσας, ἐν τῇ Ῥόδῳ τοιοῦτον ἤλατο πήδημα ὡς μηδένα τῶν Ὀλυμπιονικῶν ἐφικέσθαι· καὶ τούτου μάρτυρας ἔφασκε παρέξεσθαι τοὺς παρατετυχηκότας, ἂν ἄρα ποτὲ ἐπιδημήσωσι. Τῶν δὲ παρόντων τις ὑποτυχὼν ἔφη πρὸς αὐτόν· Ἄλλ', ὦ οὗτος, εἰ τοῦτο ἀληθές ἐστι, οὐδὲν δεῖ σοι μαρτύρων· **αὐτοῦ γὰρ καὶ Ῥόδος καὶ πήδημα**. Ὁ λόγος δηλοῖ ὅτι ὢν πρόχειρος ἢ δι' ἔργων πείρα, περὶ τούτων πᾶς λόγος περιττός ἐστι.

(**versio B**) Ἀνήρ κομπαστής. Ἀνθρωπὸς τις ἀποδημήσας ἦκε πάλιν εἰς τὴν ἰδίαν χώραν. Φρουαττόμενος δὲ ἐκαυχᾶτο μεγάλως, ὡς ἀνδραγαθήσας εἰς διαφόρους τόπους· ἐν δὲ τῇ Ῥόδῳ ἔφασκε πήδημα μέγα πηδήσαι, ὅπερ οὐδεὶς τῶν ἀνθρώπων δύναται πηδήσαι, καὶ μάρτυρας ἔφασκεν ἔχειν εἰς τοῦτο. Τῶν δὲ παρόντων τις ὑπολαβὼν ἔφη αὐτῷ· ὦ οὗτος, εἰ τοῦτο ἀληθές ἐστιν, **ἰδοῦ Ῥόδος, καὶ ἀποπήδησον**. Ὁ μῦθος δηλοῖ ὅτι, ἐὰν μὴ πρόχειρος ἢ πείρα τοῦ πράγατος, πᾶς λόγος ἀργός ἐστι.

ESTNE EUROPA MORITURA?

Colloquium interrogatorium

<https://www.youtube.com/watch?v=LvnAMCKF9h8>



DOUGLAS MURRAY (*1979)

Auctor libri plurimum divenditi, c.t. *De mirâ morte Europae: immigratio, identitas, islamus*¹

INTERROGATOR: Care Douglas Murray, sum valdê laetus atque felix, quod mihi tandem licet te comminus aspicere. Usque nunc te non vidi nisi per *youtube*, quo tamen valdê delectatus sum. Admiror patientiam, quâ in spectaculis collocutoriis ferre soles impetûs aliorum. At hoc non est mirandum, quia thesin defendis admodum audacem: dicis *Europam esse morituram*. Nos in versione (theodiscâ) librum tuum appellamus *Europae suicidium*. Tamen plerique nostrum satis bene se habent. Vitam degimus usitatam. Ergo quid causae est, cur istam thesin defendas?

DOUGLAS MURRAY: Variarum res causae sunt. At primo scilicet sint oculi mei. Equidem adhuc opinor necessarium esse, ut res appellentur tales, quales reapse oculis spectentur. In nostrâ continenti videtur

¹ Murray, Douglas (2017). *The Strange Death of Europe: Immigration, Identity, Islam*. Bloomsbury Publishing PLC. [ISBN 9781472942241](https://doi.org/10.1017/9781472942241).



valere quaedam propensio animorum, quâ res tales spectentur, quales fore speratum erat, nec tales, quales reapse inveniantur. Observo enim ea, quae fiunt. Et duas res observo praestantiores, quae inter se conveniunt: Prima est motio massalis hominum, quae videtur esse infinita, et quae ex toto mundo fit versus Europam, et quae his annis valdê exaucta est. Altero loco observo motionem hominum fieri in continentem, cuius incolae credant se ipsos prorsus nullum habere ius, quo pergant exstare tales, ut sint recognoscibiles. Verum enim vero harum rerum duarum coniunctio mihi videtur esse fatalis atque mortifera. Profecto non dico eandem esse periculosam aut paululo tantum mutandam esse rerum publicarum legislationem, ut res reparentur atque corrigantur – nequaquam: Equidem dico istam coniunctionem rerum esse mortiferam. Si paululo tantum studes historiae cognoscendae, ut ego, qui sim historicus, si causas actionis humanae indagare volueris, nil aliud invenies nisi hanc conclusionem.

INTERROGATOR: Nôvi multos homines, qui tibi non assentiantur. Qui dicunt: Bene, fiunt quidam casûs singulares, sed maximâ ex parte nobis prodest hominum diversitas multiplicitasque. Hi autem homines veros impetûs in te faciunt, quia tu ab iisdem dissentis. Quomodo hoc fit, ut homines de hac re tam vehementer inter se dissentiant?

DOUGLAS MURRAY: Si ego mentirer, illi non essent tantâ irâ incensi. Haec est pars problematis. Ille enim sentiunt inesse aliquid veri iis quae dico. Hae sunt res, quas illi nolunt audire. Itaque interdum impetum in me faciunt saevum.

INTERROGATOR: Quales processûs tibi maximê displicent?

DOUGLAS MURRAY: Mihi displicet societates nostras vehementer mutari simulque desideria maioritatis hominum negligi. Etiam si analysi utimur ieiunissimâ, mihi non videtur esse sapiens societates funditus mutare, ex quibus non est quaesitum, num ipsae vellent funditus mutari. Num iisdem ipsis, aliquot centum milionibus hominum, placeret obiecta fieri experimentorum ingentium. Europaei non rogaverunt, ut sibi liceret fieri societas multiculturalis multiplexque. Multo etiam minus rogaverunt, ut in Europam importarentur massae hominum ingentes, quibus haec continens vehementer mutaretur.

INTERROGATOR: At habent rationem politicorum, quibus persuasum est bonam ideam esse receptionem annuam ducentenorum millenorum profugorum neque ullum detrimentum esse exspectandum.

DOUGLAS MURRAY: Verum enim vero istud est magnum problema in Europaeis terris omnibus.

INTERROGATOR: Tu quidem es vir comis atque affabilis, tamen multi homines impetûs in te faciunt vehementes. Unde fit, ut migrationis comprobatores tam acriter in te invehantur?

DOUGLAS MURRAY: Hoc fit, quia tales homines sentiunt tali opinione laedi suam indolem atque humanitatem, res, de quibus nolunt agere. Iidem si vituperantur, putant postulari, ut desistant a sui ipsius persuasionibus firmissimis. Itaque tales homines utuntur armis periculosus, quae eximunt ex armariis suis. Exempli gratiâ iidem criticos immigrationis massalis accusant esse *phyletistas*¹. Necnon dubitant homines perquam communes appellare *phyletistas* et *nacistas*

¹ **phyletista*, -ae m. orig. *Rassist*.

et *fascistas*. In hac autem re tales homines errant duabus de causis. Una causa est, quod istis quoque temporibus nostris oportet vera dicantur neve homines laedantur nominibus, quae non conveniant cum iisdem idque eo tantum fine, ut talium nominum adhibitores per breve tempus successum habeant politicum. Altera – et gravior – causa est, cur moneatur, ne talia nomina adhibeantur: Noli efficere, ut verba, quibus aliquo die futuro fortasse iterum voles adhibere, sensum amittant. Si e.g. illi omnem civem, qui sollicitetur et timeat, ne annua admigratio binarum partium centesimarum societatis potius noceat quam expediat, increpant esse *phyletistam xenophobum* atque *duricordem*, aliquando, si reverâ tales homines apparebunt, nulla restabunt verba ad tales denominandos.

INTERROGATOR: At illi homines boni etiam dicunt te specialiter vituperare muslimos eoque demum ipso te problemata efficere. Qui homines dicunt: *Nisi muslimi vituperantur, nulla fiunt problemata*. Dicunt te demum creare affectum animorum, quo creentur problemata.

DOUGLAS MURRAY: Scilicet me istam rem perbene nosse. Isti homines volunt me unâ secum mentiri, ut nos omnes communiter aliquando assequamur lucidam illam terram benedictam, quam iam nunc praedicunt.

INTERROGATOR: Si hoc faceres, posses fieri vir politicus.

DOUGLAS MURRAY: Multa facerem, antequam hoc facerem. Si mihi persuasum esset me non assecuturum esse successum professionalem lucrosam nisi mentiando, velut argentariis diripiendis, hoc fortasse facerem. At historicus cum sim et auctor historicus, meum est officium vera dicere. Ista idea res occultandi et reticendi est perquam periculosa. In hac re cogito de novâ lêge, quae apud te in Germaniâ mense proximo praeterito ad effectum est adducta. Problema autem est hoc: Fiunt haud paucae res malae, non semper solum malae, sed aliquot res malae. Deinde homines in ephemeridibus aut in nuntiis interretialibus inveniunt has res factas esse. Si istae res malae fierent, ut assequamur rem exoptatissimam, verismile esset homines tales res malas pati. Fortasse dicerent: „Verum quidem est plures constuprationes fieri quam antea, verum est multo plures fieri

impetûs cultrarios numerumque scelerum generaliter augeri. At en bonum nuntium: Post quadraginta annos hîc omnia erunt iucundissima maximêque delectabilia!“ Hoc quidem nonnulli homines credunt dicentes: „Noli loqui de rebus malis, quia eo impedis, ne res bene evadant!“ Ita, ut annis octogenariis socialistae dicebant: „Noli vituperare Fidelem Castronem! Nam hoc si facis, parum expediet nobis hominibus partis sinistrae“.

INTERVIEWER: Similiter uxor mea dicere solet: „Noli loqui de rebus malis, ne easdem attrahas!“

DOUGLAS MURRAY: Hîc autem loco venimus ad problema gravissimum: Non loquimur de rebus malis, quae modo fiunt, sed etiam non dicimus locum, quem petimus, etiam non esse bonum. Quid autem faciamus, si iste locus talis est? Itaque equidem non opinor nobis non esse loquendum de facinoribus cultrariis, ut post quadraginta annos condicio nostra sit iucundior commodiorque. Nequaquam. Credo nos promoveri in directionem malam nobisque colloquendum esse etiam de rebus malis, quae nunc iam fiunt. Necnon iste conatus talia colloquia supprimendi est praenuntius periculosus temporis futuri etiam peioris.

INTERROGATOR: Quidnam tuâ quidem sententiâ faciendum est?

DOUGLAS MURRAY: Scilicet prima res facienda est *retardatio*. Saltim haec res est facienda. Scilicet hoc si fieret, imagines publicê apparerent foedae. In vitâ semper agitur de rebus diiudicandis. Si qui politicus immigrationem retardat, fortasse in actis diurnis vituperatur per diem aut per septimanam. At homini politico diiudicandum est, utrum malit in actis diurnis per septimanam vituperari an in aleam committere salutem terrae suae, immo totius continentis. Nonnulli quidem homines iam statuerunt, ut malint in aleam committere salutem terrae suae continentisque totius quam pati per unum tantum diem se in actis diurnis vituperari. At politici electi, qui sic cogitent, sunt contemptu digni.

INTERROGATOR: Ergo qualis est prognosis tua? Quidnam praedicis factum iri?

DOUGLAS MURRAY: Eas res, quas puto verisimiliter factum iri, in libro meo descripsi. Processus, qui iam ex longo tempore fit et nuper vehementer acceleratus est, annis venturis continuabitur. Neque ullus conatus fit hunc processum invertendi. Ut iam dixi: Maximê praestat aut immigrationem sistere aut eiusdem velocitatem deminuere. Idque praestat, quia populi idem ipsum volunt. Hoc iam pridem postulant. Ut dicam breviter: Si es politicus, conare id facere, quod populus a te postulat! At quid fiet, nisi hoc fiet? Circumstantiae malae, quas nunc experimur, vehementer exaugebuntur. Necnon exorietur societas, quam liberos nostros inhabitare non volumus. Haec est quaestio omnium gravissima, de quâ politicus debeat deliberare: Īdem ne quaerat ex se his ferê verbis: quomodo suffragiis eligi possum in quattuor quinqueve annos? Sed ex se quaerat: Utrum terram gubernatione meâ reliqui melius an peius? *Angela Merkel* eiusque coaequales politici in Germaniâ versantes totam continentem relinquunt definitivê peiorem quam eandem susceperunt gubernandam. Qui iam gaudent de tempore pensionis accipiendae!



DIREPTIO ROMAE
Pinxit Joseph-Noël Sylvestre (1847-1926)

Fortasse sic cogitant de rebus a se diiudicatis. Ceterum censeo Angelam Merkel eiusque politicos coaequales causis brevioris spatii politicis in Europâ efficere calamitatem strategicam spatii longioris. Isti homines non desinunt nobis narrare, si totum mundum nobis attulerint, commoda nobis fore plurima. At evidenter etiam valet nos, si totum mundum importemus, importare etiam totius mundi problemata! Nunc cottidie in Germaniâ aut in aliis Europae terris nuntii leguntur, quales brevi tempore ante homines putavissent esse impossibiles – et tales nuntii ne in titularibus quidem paginis ephemeridum inveniuntur! Sic relatum est in Germaniâ de petitore asyli, qui puellâ constupratâ ab astyphylacibus deprehensus esset, postea patrem puellae voluisse constupratorem cultro interficere, sed ab astyphylacibus esse telis percussus. Haec puella per breve spatium a viro constuprata non potuit, quin videret patrem suum ab astyphylacibus telis esse percussus. At de istâ re non relatum est nisi brevi relatione paginae secundariae impositâ – nihil fuit nisi res cottidiana quae facta est in Europâ Merkelianâ!

INTERROGATOR: Si liberi tibi essent, quo eos mitteres?

DOUGLAS MURRAY: In Neozelandiam. Nondum ibi fui, sed inspiciam ibi nonnulla habitacula.

INTERROGATOR: Gratias plurimas, Domine Murray.

Murray, Douglas (2017). [The Strange Death of Europe: Immigration, Identity, Islam](#). Bloomsbury Publishing PLC. [ISBN 9781472942241](#).

FABELLA GRIMMIANA

20. DE FRATRE LAETO



Aliquando factum est magnum bellum, et bello finito multi milites sunt dimissi. Nunc etiam Frater Laetus dimissus est nihilque accepit nisi buccellam panis militaris et quattuor nummos cruciatos; his acceptis abiit. Sanctus Petrus autem in mendicum pauperem mutatus iuxta viam consedit et Fratrem Laetum praetereuntem rogavit, ut sibi daret eleemosynam. At is respondit: »Care mendice, quid tibi dem? Miles fui, et nunc dimissus nihil accepi nisi hanc buccellam panis militaris et quattuor nummos cruciatos, hi si consumpti erunt, ego quoque haud aliter ac tu non potero, quin mendicer. Tamen tibi aliquid dabo«. Deinde buccellam divisit in partes quattuor, quarum unam dedit apostolo necnon unum nummum cruciatum. Tum Sanctus Petrus



gratias egit et iter facere perrexit et alium in hominem mutatus mendicus ad viam sedens militem praetereuntem iterum rogavit, ut antea, ut sibi daret eleemosynam. Hôc audito Frater Laetus iterum ei dedit buccellae partem quartam nummumque cruciatum. Sanctus Petrus gratiis actis ire perrexit, sed tertio ad viam consedit in mendicum mutatus et Fratrem Laetum allocutus est. Tum Frater Laetus ei tertiam quoque partem buccellae tertiumque nummum cruciatum dedit. Hôc facto Sanctus Petrus gratias egit, Frater Laetus ire perrexit neque quicquam habuit nisi quartam partem buccellae unumque nummum cruciatum. Cum iisdem Frater in cauponam iit, panem comêdit pretioque nummi cruciati cervesiam sibi dare iussit. Cenâ finitâ profectus est; paulo post Sanctus Petrus in militem dimissum mutatus denuo in Fratrem Laetum incidit hisque ferê verbis allocutus est: »Salve, sodalis, nonne fieri potest, ut mihi des frustum panis et nummum cruciatum, ut aliquid bibam?« - Tum Frater Laetus respondit: »Unde hoc sumam? Cum dimitterer, nihil accepi nisi buccellam et quattuor nummos cruciatos. Postea in viâ rurali incidi in

tres mendicos, quorum cuique quartam dedi partem panis mei unumque nummum cruciatum. Ultimam autem partem quartam in cauponâ comêdi et pro ultimo nummo cruciato cervesiam bibi. Nunc nihil iam possideo et si tu quoque nihil iam habes, nos ambo unâ mendicemur«. – Tum Sanctus Petrus: »Hoc« inquit »non erit necessarium: Ego enim aliquatenus scio artem medicinalem, eâdemque usus tantum merebor, quantum erit necessarium«. – Deinde Frater Laetus: »Huius artis« inquit, »cum ego non peritus sim, non potero quin solus mendicer«. – Tum Sanctus Petrus: »Ah veni mecum,« inquit, »si quam mercedem accepero, tu dimidiam partem accipies«. – Deinde Frater Laetus: »Hoc« inquit, »mihi placet«. Ergo ambo unâ profecti sunt.

Nunc ad villam rusticam venerunt et audiverunt aliquem vehementer lamentantem atque clamantem; tum intraverunt et viderunt virum mortiferê aegrotantem et moriturum et uxorem permagnâ voce lacrimantem. Sanctus Petrus autem: »Desinite« inquit, »lamentari atque lacrimare. Virum sanabo«, et unguento e sacculo exempto sine morâ virum aegrotum sanavit, ut surgeret et penitus valeret. His factis et vir et mulier summê gaudentes quaesiverunt: »Quo modo te remuneremur? Quid vis nos tibi dare?« Sed Sanctus Petrus nihil voluit accipere, et quo plus urgebatur a rusticis, eo magis recusabat. At Frater Laetus latere Sancti Petri fosso¹: »Agedum« inquit, »sume aliquid, nam egemus«. Tandem rustica agnum attulit Sanctoque Petro dixit hanc mercedem ei esse accipiendam, sed is noluit. Tum latere fodicato Frater Laetus: »Iam iam« inquit, »sume, baburre, nam egemus«. Tum Sanctus Petrus tandem dixit: »Bene, agnum sumam, sed non feram: si tu eum vis, debes ferre« - Frater Laetus autem: »Hoc« inquit, »non est difficile factu. Agnum feram« eumque subbaiulavit. Nunc ambo profecti in silvam venerunt; deinde Frater Laetus, qui cum agni onere gravaretur, tum coepit esurire: »En vide«

¹ **latus** **alcs** **födere/ fodicäre** orig. *jn. anstoßen, jm. in die Seite stoßen* (hōc modo aliquis clam monetur, ut animum attendat ad aliquam rem). cfr HOR. Ep.1,6,50-52: Mercecur servum, qui dictet nomina, laevum/ qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram/ porrigere.... TER.Hec.3,5,12 Lach. Dic iussisse te. Phid. Noli fodere. cfr Q. Horatius Flaccus. Recensuit Io. Casp. Orellius. Addita est ..., tom.2 (locum Horatianum Ep.1,6,51 explicans): "*Laevum...latus*] Quod nomenclator hero tegebat; *fodicare* autem (i.e. saepe et acriter fodere, pungere, vellicare) solebant latus, quo signo attentos redderent de aliqua re monendos. h.l. ut salutarent hunc vel illum hominem de plebecula...".

inquit, »locum pulchrum, quo agnum coquamus et comedamus«. – Tum Sanctus Petrus respondit: »Assentior, sed nescio coquere: si tu vis coquere, sume hoc ahenum, ego interim ambulabo, usque dum caro sit percocta. At noli comedere, antequam rediero; veniam recto tempore«. – Frater Laetus: »Licet abeas« inquit, »Ego scio coquere, ego hoc faciam«. Deinde Sanctus Petrus abiit et Frater Laetus agno mactato ignem accendit, carnes aheni iniecit, necnon coxit. At agno iam percocto cum apostolus nondum rediisset, Frater Laetus agnum ex aheni exemptum dissecuit et cor invēnit.

Īdem vir »Hoc« inquit, »dicitur esse pars totius bestiae optima« et cor gustavit, sed denique totum comēdit. Tandem Sanctus Petrus rediit et: »Licet tibi« inquit, »totum agnum soli comedere, ego nihil volo nisi cor, hoc mihi da«.

Deinde Frater Laetus cultro fuscinulâque sumptis simulavit se assiduê cor quaerere inter carnes, sed idem non invenire; tandem breviter dixit: »Nullum cor adest«. – At apostolus: »Ubinam« inquit, »cor est?«. Tum Frater Laetus respondit: »Hoc nescio. At vide, quam stulti nos ambo simus cor agni quaerentes, neque utri nostri in mentem incidit agnum prorsus nullum habere cor!« - Hôc audito Sanctus Petrus: »Babae« inquit »narras mihi rem prorsus novam. Nonne omne animal habet cor, quidni agnus non habeat cor?« - Tum Frater Laetus: »Certê« inquit, »mi sodalis, agnus non habet cor, deliberes rectê, deinde tibi veniet in mentem agnum reverâ non habere cor«. – Tum Sanctus Petrus: »Bene« inquit, »habeas tibi. Si nullum adest cor, nullam quoque aliam partem agni comedam, liceat tu comedas agnum solus«. – Deinde Frater Laetus: »Eas carnes« inquit, »quas comedere non potuero, recondam perae meae impositas« et agnum comēdit dimidiam et ceteras carnes perae suae imposuit.

Ambo ire perrexerunt. Subito Sanctus Petrus effecit, ut magnus fluvius trans viam flueret, neque potuerunt, quin irent per fluvium. Tum dixit Sanctus Petrus: »Licet tu praeas«. – At Frater Laetus respondit: »Ego non. Tu i prae« et cogitavit: ‚Si aqua ei erit nimis profunda, ego remanebo’. Tum Sanctus Petrus per aquam transiit, nec aqua eum attigit nisi usque ad genua. Nunc etiam Frater Laetus transiturus erat, sed aqua aucta est et ascendit usque ad eius collum, ut

virum sanctum rogaret: »Sodalis, adiuva me«. Tum Sanctus Petrus: »Nonne vis« inquit, »confiteri te comedisse cor agni?« - At Frater Laetus: »Hoc« inquit, »non confitebor. Nam agnum non comêdi«. Tum aquâ etiam exauctâ ascendit usque ad ôs Fratris Laeti, ut is clamaret: »Adiuva me, sodalis«. Tum Sanctus Petrus iterum dixit: »Nonne vis confiteri te comedisse cor agni?« - At ille: »Non confitebor« respondit, »nam cor non comêdi«. Quamquam hoc audivit, Sanctus Petrus, quia noluit Fratrem Laetum aquis submergi, curavit, ut aquâ deminutâ adiuuaret Fratrem Laetum transeuntem.

Nunc iter facere perrexerunt et in regnum pervenerunt, ubi audiverunt filiam rēgis aegrotare mortiferê. Tum Frater Laetus Sanctum Petrum allocutus: »Heus sodalis«, inquit, »istam capiamus occasiunculam. Hanc enim puellam si sanaverimus, satis habebimus in aeternum«. Nunc Sanctus Petrus quia Fratri Laeto visus est parum velox esse, is: »Mi sodalis« inquit, »te amabo, propera, ut adveniamus in tempore«. At Sanctus Petrus quo vehementius a Fratre Laeto monebatur appellabaturque, eo lentius ibat, et denique audiverunt filiam rēgis esse mortuam. »Viden' quid mali effeceris eo quod incedis tam somniculosê?«. - At Sanctus Petrus respondit: »Taceas et scias me plura scire quam aegrotos sanare, immo me scire, mortuos quo modo redanimem«. - Tum Frater Laetus: »Si hoc scis facere« inquit, »assentior, sed oportet hac arte exercendâ saltim accipiamus dimidium ferê regnum«. Deinde ierunt in castellum regium, ubi omnes valdê lugebant: at Sanctus Petrus rēgi dixit se velle filiam eius redanimare. Tum îdem vir sanctus ad illam ductus: »Afferte mihi« inquit, »ahenum aquae plenum« et aheno allato omnes iussit e conclavi exire excepto Fratre Laeto, cui permisit apud se remanere. Deinde omnia membra puellae mortuae desecta aquae iniecit, sub aheno ignem accendit, ut aqua ferveret. Cum autem omnes carnes de ossibus decidissent, pulchra ossa alba exempta mensae imposuit unum iuxta aliud ordine naturali. His factis ante ossa se collocavit et ter dixit: »In nomine Trinitatis sanctissimae, mortua, surge!« His verbis tertio dictis filia regis surrexit viva, valida, venusta. Nunc rex de hac re summê gavisus Sancto Petro dixit haec: »Dic, quantam mercedem cupias; quam, etsi regnum meum est dimidium, tibi dabo«. At Sanctus Petrus respondit: »Nihil sanê postulo pro hac re«. - Tum Frater Laetus intra se cogitavit »Vah tu stultissime!«, latere socii fodicato: »Quidnam, baburre« inquit, »tam stultus es? Etsi tu nil vis, ego quidem mercede egeo«. At

Sanctus Petrus nihil voluit; sed rex quia vidit alterum mercedem cupere, thesaurarium iussit peram Fratris Laeti auro complere.

Deinde iter facere perrexerunt et silvâ quadam intratâ Sanctus Petrus Fratri Laeto dixit: »Nunc aurum inter nos dividamus«. – Is respondit: »Bene, hoc faciamus«. Deinde Sanctus Petrus aurum divisit, et divisit in partes tres. Tum Frater Laetus cogitavit: »Eheu denuo iste vacerosus est!¹ Qui dividit aurum in tres, sed nos sumus duo«. At Sanctus Petrus: »Nunc« inquit, »divisi diligenter, unam partem pro me, alteram pro te, tertiam pro illo, qui comêdit cor agni«. – Tum Frater Laetus respondit: »O, hoc ego comêdi« et rapidê aurum sacco ingessit, »hoc crede mihi!«. – Tum Sanctus Petrus: »Quomodo« inquit, »hoc credam, cum mihi affirmaveris agnum cor non habere«. - »Ah, mi sodalis, quidnam credis! Scilicet agnum habere cor non aliter ac omne animal, quid causae est, cur non habeat?« - Tum Sanctus Petrus: »Quiescas« inquit, »solus habeas totum aurum, sed ego non iam manebo apud te et iter facere volo solus«. - »Fac quod vis, mi care sodalis« miles respondit, »bene vale«.


Tum Sanctus Petrus iter fecit per aliam viam, sed Frater Laetus cogitavit: »Bonum est istum abire, mirus sanus vir mirêque ineptus«. Nunc Frater Laetus pecuniae satis habuit, sed nescivit eâdem rectê ūti, profundebat, donabat, ut aliquanto post denuo haberet nihil. Deinde in terram quandam pervênit, ubi audivit filiam rēgis esse mortuam. »Babae!« cogitavit, »hoc bene evadet, illam redanimabo, ut pecuniam accipiam uberrimê«. Ergo Frater Laetus ad regem iit eique promisit se mortuam resuscitaturum esse. Rex autem audiverat militem quendam emeritum per terram circuire et mortuosque redanimare, et cogitavit Fratrem Laetum esse istum virum, sed quia eo non confisus est, primo ex consiliariis quaesivit, quid sibi suaderent; iidem autem dixerunt, ut auderet illi viro rem faciendam mandare, nam filiam iam esse mortuam. Nunc Frater Laetus ministros iussit sibi aquam afferre aheno inditam, membra mortuae desecuit, aquae iniecit, sub aquâ ignem accendit, ita ut viderat Sanctum Petrum facere. Aqua fervescebat, carnes decidebant, deinde vir ossa exemit mensaeque imposuit; at quia

¹ **Eheu denuo iste vacerrōsus est!** orig. *Was er wieder für einen Sparren im Kopf hat!* cfr Karl Ernst Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, tom.II, 14.ed., Hannover 1976, col.3342sq.: „**vacerrōsus**, a, um (vacerra), gleichs. (mit Pfählen) im Kopfe vernagelt, mit einem Sparren im Kopfe = wahnwitzig, verrückt, Aug(ustus) bei Suet(onius) Aug.87,2“.

nescivit, quo ordine ossa essent collocanda, omnia falso inter se composuit.



Deinde ante ossa se collocavit et: »In nomine Trinitatis sanctissimae, mortua, surge« et hoc ter dixit, sed ossa manserunt immota. Tum etiam ter verba fecit, sed frustra. Denique clamavit: »Heus puella venustissima, surge, aut non bene te habebis«. His verbis dictis subito Sanctus Petrus in formam priorem, id est in militem dimissum mutatus per fenestram intravit et: »Vae tibi« inquit, »homo impie! Quid agis, quonam modo mortua resurgat ossibus perturbatis?« - Frater autem Laetus respondit: »Mi care sodalis, rem feci, quantum scivi«. Tum Sanctus Petrus: »Nunc te adiuvabo in angustiis haerentem, sed hoc mihi crede: Si talem rem iterum facere conatus eris, miserê te habebis, nec tibi licebit a rege mercedulam ullam cupere aut accipere«. Deinde Sanctus Petrus ossa recto ordine composuit, filiam rēgis ter allocutus est his verbis: »In nomine Trinitatis sanctissimae, mortua, surge!« et filia rēgis surrexit et fuit tam valida et venusta quam antea. Nunc Sanctus Petrus per fenestram exiit: Frater Laetus autem gavisus est, quod res tam bene evenerat, tamen stomachatus est, quod sibi interdictum erat, ne quid mercedis acciperet. Īdem vir intra se cogitavit: »Utinam scirem, quales istius viri menti insint ineptiolae, nam iste id quod unâ manu dat, sumit alterâ: parum sanae mentis est«. Nunc rex Fratri Laeto praebuit quidcumque vellet, sed eidem non licuit aliquid accipere; tamen allusione astutiâque id assecutus est, ut rex iuberet peram eius auro complere; quo accepto Frater Laetus profectus est. Cum ĩdem exiret, ante portam vidit Sanctum Petrum stantem, qui: »Vide, qualis homo tu sis! Nonne tibi interdixi, ne quid mercedis sumas? At nunc peram habes auro completam«. - Tum Frater Laetus: »Ego« inquit, »non in culpâ sum, si quis perae meae aurum imposuit«. - »Nunc bene audi: Cave ne iterum tale facinus



committas, alioquin malum tibi accidet«. - »Vah sodalis, noli sollicitari, nunc habeo aurum, quidnam causae est, cur me dedam ossibus lavandis?« - Tum Sanctus Petrus: »Verum« inquit, »aurum diu durabit! Sed postea ne denuo vias ingrediaris illicitas, perae tuae dabo vim, quâ omnia, quae optaveris, ut eidem insint, insunt reverâ. Bene vale, me non iam revidebis«. – Deinde Frater Laetus dixit: »Salvet te Deus« et cogitavit: »Laetor, quod abis, mirum caput, te sanê non sequar«. Nec cogitavit de vi mirificâ perae suae attributâ.

Deinde Frater Laetus circumcirca migrans aurum effundebat atque consumebat haud aliter ac illo tempore, quo primum aurum acceperat. Nihilo nisi quattuor cruciatis nummis relictis in cauponâ devertit cogitans: »Haec quoque pecunia erogetur«, et pretio trium cruciatorum sibi mandavit vinum uniusque cruciati panem. Comedens autem bibensque odoratus est nidorem¹ anserum assatorum. Frater Laetus circumspectans animadvertit cauponem cuniculo fornacis² imposuisse duos anseres. Tum ei in mentem incidit sodalem sibi dixisse quaecumque sibi exoptasset, perae suae infutura esse. »Babae,

¹ **nīdor ānserum assātōrum** orig. *der Geruch von gebratenen Gänsen*. cfr HORATIUS, Sermo II 19sq. ...Non in caro **nidore** voluptas/ summa, sed in te ipso est. cfr Niklas Holzberg (ed.), Quintus Horatius Flaccus, Sämtliche Werke, Lateinisch-deutsch, Berlin/Boston 2018, p.119: "Nicht in teurem **Bratenduft** liegt die höchste Lust, sondern in dir selbst".

² **cuniculus fornâcis** orig. *Ofenröhre*. cfr Georges, Ausf. Deutsch-lateinisches Handwörterbuch, tom.II, Lipsiae 1870.

hoc conabor facere de anseribus!« Ergo e cauponâ exiit et ante ianuam dixit: »Exopto, ut ambo anseres assati cuniculo fornacis impositi imponantur perae meae!« Hoc cum dixisset, peram apertam inspexit, et vidit ambos anseres inesse. Tum Frater Laetus: »Ah, hoc placet« inquit, »nunc sum filius albae gallinae¹«, abiit in aliquod pratum ibique assum e perâ exêmit. Cum maximê uno anserem helluabatur, duo socii fabriles advenientes alterum anserem adhuc intactum aspexerunt oculis famelicis. Tum Frater Laetus cogitavit: »Satis habeo uno comeso«, et fabris advocatis: »En accipite« inquit. »anserem et comedite in valetudinem meam«. Illi gratias egerunt anseribusque secum auferentes ierunt in cauponam, vini sibi mandaverunt litram dimidiam panemque, et anserem donatum evolutum comedere coeperunt. His aspectis copa marito dixit: »Isti fabri anserem comedunt, inspicite cuniculum fornacis, ut sciamus, num ille anser sit unus ex illis fornaci impositis«. Caupo autem fornacem accessit et vidit cuniculum esse vacuum. Tum fabros allocutus clamavit: »Quid? Vos fures trifurciferi, tam vili pretio vultis vorare anseres! Aut statim solvite pecuniam aut vapulate, verberones!²«. Fabri autem responderunt: »Nos non sumus fures, miles quidam emeritus foris in prato hunc anserem nobis donavit«. - »Nolite me deruncinare!³ Ille miles hîc fuit, sed exiit vir sincerus, ad illum animum attendi: vos estis fures, vos debetis solvere!«. Cum autem fabri solvendo non essent, caupo eos fuste mulcans foras fugavit.

Frater Laetus abiit et vênit ad oppidum, ubi fuit castellum magnificentum et in propinquo haud procul fuit caupona misera. Cauponâ intratâ rogavit pernoctationem, sed caupo eum recusans: »Non iam« inquit, »restat cubiculum, nam domus plena est convivarum nobilium«. – Tum Frater Laetus: »Miror« inquit, »quod nobiles ierunt ad vos neque in castellum magnificentum« - Tum caupo respondit: »Reverâ mirum est ibidem pernoctare. Quicumque enim hoc conatus erat, non exiit vivus«. – Deinde Frater Laetus: »Si alii« inquit, »conati sunt, ego quoque conabor«. – Tum caupo: »Noli conari. Actum erit de collo tuo«. – Tum Frater Laetus: »Non statim« inquit, »agetur de collo meo. Des mihi, quaeso, claves necnon plusculum esculenta et potulenta«.

¹ **nunc sum filius albae gallinae** orig. *Nun bin ich ein gemachter Kerl.* cfr IUVENALIS sat.XIII 141 **albae gallinae filius** (Georges: „ein Glückskind“).

² **aut vapulâte, verberônēs!** orig. *oder ich will euch mit grünem Haselsaft waschen.*

³ **Nōlite mē dēruncināre!** orig. *Ihr sollt mir keine Nase drehen!*

Nunc caupo ei dedit claves et esculenta et potulenta et cum iis rebus Frater Laetus in castellum iit, bellulê se invitavit, et cum esset somniculosus, in pavimento se collocavit, quia lectus non adfuit. Mox autem obdormivit, sed nocte experrectus est strepitu magno et excitatus vidit novem diabolos foedos in cubiculo, qui circulo circa eum facto saltabant. Tum Frater Laetus: »Saltate« inquit, »dum vultis, sed ne quis vestrum nimium mihi appropinquet«. Diaboli autem etiam etiamque urgentiores in eum invehebantur et paene eius faciem inculcabant pedibus suis taeterrimis. Frater Laetus: »Tandem quiescite, phantasmata diabolica!«, sed isti diaboli etiam ferociores se gerebant. Tum Frater Laetus irâ incensus clamavit: »Eho, vos tranquillabo!« et pede sellae correpto medios in diabolos pulsavit. Attamen novem diaboli plures fuerunt, quam ut ab uno milite superarentur: Cum anteriorem mulcebat, a ceteris crines Fratris Laeti correpti huc illuc miserrimê trahebantur. Tum Frater clamavit: »Vae tibi, faex infernalis! Nunc mihi estis nimis molesti! Exspectate paulisper! Exopto ut perae imponamini vos novem omnes!« - Dictum, factum, nunc omnes perae infuerunt, quam clausam Frater Laetus angulo iniecit. Subito silentium est factum, et Frater Laetus in pavimento se collocavit et dormivit usque ad summum mâne. Nunc caupo et vir nobilis, qui castellum possidebat, noscitur, quidnam nocte de eo factum esset. Cum iidem Fratrem Laetum aspicerent validum hilaremque, stupefacti quaesiverunt: »Nonne phantasmata tibi vim attulerunt?« - Tum Frater Laetus respondit: »Quidni? Ista omnia habeo perae meae inclusa. Licet vos perquam tranquillê castellum tuum inhabites, inde ex hâc tempore nullum in eo ambulabit phantasma!« Tum vir nobilis gratias egit et dona ei dedit amplissima eumque rogavit, ut pergeret sibi ministrare, nam se ei victum paraturum esse per totam vitam. Sed Frater Laetus: »Non manebo« inquit, »nam ad migrandum assuefactus sum. Volo iter pergere«. Deinde Frater Laetus abiit, officinam intravit ferrariam et peram, cui inerant novem diaboli, imposuit incudi, et fabrum eiusque socios rogavit, ut malleis peram pertunderent quam vehementissimê. Itaque iidem malleis suis magnis summa vi tam vehementer tutuderunt, ut diaboli quiritarent miserrimê. Perâ autem apertâ octo diaboli mortui erant, unus tantum, qui plicae insederat, adhuc vixit et elapsus in gehennam aufûgit.

Deinde Frater Laetus etiam per longum tempus mundum permigrabat, et qui sciret, multa sciret de eius itineribus narrare. At denique Frater Laetus senescens de obitu suo cogitans ad eremitam iit, qui dicebatur esse vir pius, eique dixit: »Migrando fatigatus cum sim, nunc studeo pervenire in regnum caelorum«. Eremita autem respondit: »Duae sunt viae, quibus illuc pervenies, una est lata atque commoda et ducit ad gehennam, altera est angusta et aspera et ducit ad caelum«. – Tum Frater Laetus cogitans »Equidem callidior sum, quam ut eam per viam angustam atque asperam« profectus est ad viam latam atque commodam ineundam. Tandem vênit ad magnam portam nigram, quae fuit porta gehennae. Frater Laetus portam pulsavit et ianitor prospexit, quisnam adesset. Ianitor autem infernalis ubi primum Fratrem Laetum agnosceret, territus est: nam îdem fuit nonus ille diabolus perae impositus, qui, ut aiunt, corpore effugerat. Itaque iste ianitor ianuâ quam celerrimê obseratâ ad archidiabolum properavit et: »Foris« inquit, »quidam furcifer perâ instructus est intraturus, sed istum ne ullo modo sinas intrare, nam alioquin exoptabit, ut tota gehenna imponatur perae suae. Nuper enim iste curavit, ut ego perâ inclusus malleis pertunderer miserrimê«. Ergo foras exclamatum est Fratri Laeto abeundum esse, nam non permitti introire. Tum is cogitavit: »Nisi isti me habere volunt apud se, videbo, num in caelo locum inventurus sim, ubi habitem. Nam aliquam mansiunculam oportet habeam«. Ergo Frater reversus iter perrexit, usque dum perveniret ad portam caeli, quam pulsavit. Ibidem modo Sanctus Petrus assidebat ianitor: Quo statim recognito Frater Laetus cogitavit: »Ehem invêni amicum vetulum, nunc mihi res evadet melius«. At Sanctus Petrus: »Bone Deus« inquit, »tunc hîc ades? Verumne vis tu ire in caelum?« - »Mi care sodalis, sinas, quaeso, me introire; aliquo enim loco deverti necesse est; si illi me in gehennam recepissent, huc non venissem« - At Sanctus Petrus: »Nequaquam« inquit, »te sinam. Tibi non licet intrare«. – Tum Frater Laetus: »Nisi mihi permittis intrare, en recipe peram tuam: nam nihil iam habere volo a te acceptum«. Tum Sanctus Petrus: »Ergo da mihi«. – Tum Frater Laetus per cancellos portae peram porrexit et Sanctus Petrus eandem acceptam iuxta sessibulum suum suspendit. Denique Frater Laetus: »Nunc exopto, ut ipse perae imponar!«. Dictum, factum, Frater Laetus infuit perae necnon infuit caelo, et Sanctus Petrus non potuit, quin eum ibidem relinqueret.

* * * * *



FABELLAM GRIMMIANAM

C.T.

»Bruder Lustig«

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD- ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD- ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM OCTOGESIMAM PRIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Martis, 06. m.Nov. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>